



**R. P. Ioannis De Lvgo Hispalensis, E Societate Iesv, In
Collegio Romano Eivsdem Societatis olim Theologiae
Professoris, nunc S. R. E. Cardinalis. Disputationes
Scholasticæ De Incarnatione Dominica**

Lugo, Juan de

Lugduni, 1653

2. Communis sententia de impotentia hominis puri ad satisfaciendum
condignè pro culpa.
-

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81011](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81011)

SECTIO II.

Communis sententia de impotentia hominis puri ad satisfaciendum condignè pro culpa.

19
Impotentia
hominis puri
ad satisfaciendum ar-
guitur.

S. Thom.
Bonavent.
Suarez.

Aristot.

Communis antiquorum, & recentiorum sententia hanc impotentiam sumit ex dignitate Dei offensi, & vilitate personæ offendentis; nam iniuria, seu offensa eo est maior, quò dignior est persona offensa, & vilior offendens; sicut è contra satisfactio eo est minor, quò dignior est persona, cui offertur, & vilior persona, à qua offertur; cum ergo offensa crescat ex maiestate infinita Dei, & vilitate hominis peccantis; satisfactio verò debeat etiam decrescere ex eadem hominis paruitate, & excellentia Dei, cui offertur; consequens est, nunquam posse satisfactionem puri hominis adæquare gravitatem offensæ. Hæc est ratio S. Thomæ in præsentis art. 1. ad 2. Bonaventuræ in 3. d. 20. q. 3. quos sequitur Suarez in præsentis disp. 4. sect. 3. & communiter alij Theologi, & sumitur ex Arist. *Ethic. 5. vbi sic ait: Si is, qui magistratum percutit, alium percutit, non est reperiendum, quia scilicet ex dignitate personæ esset maior satisfactio tunc quam offensa; quare è contra subdit, At si quisquam magistratum percussit, non solum reperiendum est, verum etiam supplicio afficiendum, quia scilicet iniuria cresceret ex vilitate offendentis, & ex eodem capite decresceret satisfactio.*

Neque obstat peccatum non esse iniuriam strictam Dei, cui debeat ex iustitia satisfieri; nam quod ad præsens attinet, eadem ratio est de offensa: quæ licet non sit contra iustitiam, adhuc in morali prudētum æstimatione crescit ex inferioritate offendentis ad offensum; ex qua etiam decrescit satisfactio, licet non exhibeatur ex obligatione iustitiæ, sed per modum morales, & condignæ placationis, qua posita iam ille alius non maneat rationabiliter auersus ab offendente.

20
Impugnatur
prædicta ratio.

Cæterum ex alio capite impugnatur communiter prædicta ratio, quia licet propter infinitam distantiam hominis à Deo, peccatum contrahat gravitatem maximam in ratione offensæ, & è contra nostra satisfactio decrescat nimium in ratione satisfactionis; adhuc tamen peccatum non contrahit infinitam malitiam, nec infinitam gravitatem in ratione offensæ, vt suppono ex sectione sequenti, sed solum finitam. ergo licet difficillimè, & ægerimè; poterit tamen aliquando tota illa offensa compensari obsequiorum numero, excellentia, diuturnitate, precibus, & aliis huiusmodi; nam licet subito contumelioso in Principem difficilis sit condigna satisfactio, non tamen impossibilis; posset enim adeò egregia obsequia erga Principem exhibere, vt prudentum iudicio condignè satisfaceret. v. g. si Principem ab hostibus captum, & iam iam morti tradendum eriperet, se se illius loco apud hostes substituendo: quis dubitet condignè satisfacisse pro priori offensa? ergo similiter purus homo adeò posset egregiè in Deum obsequia multiplicare, vt priorem tandem offensam aboleret. Fateor, ex illa grande debitum relictum esse, nimirum debitum decem millium talentorum, quæ debebat servus

ille euangelicus, cuius debiti comparatione, debitum vnus hominis respectu alterius appellatur ibi debitum centum denariorum: cæterum tot possunt esse debita centum denariorum, quæ debito decem millium talentorum æquiualeant.

Respondent, res diuersorum ordinum, licet vtrique sit finita, ita se habere, vt superior nunquam possit sufficienter compenari per res inferiores, quantumcunque crescant, & multiplicentur, quia semper remanent in ordine inferiori. Explicatur exemplis vulgaribus; nam quantumcunque crescat perfectio, & numerus animalium, nunquam adæquabit perfectionem vnus Angelus; item cognitiones omnium creaturarum non æquiualent visioni vnus Dei etiam remissa, licet Angelus, & visio Dei habeant perfectionem finitam. Similiter licet offensa Dei habeat gravitatem simpliciter finitam, non adæquatur omnibus obsequiis puri hominis; quia gravitas offensæ sumitur ex dignitate Dei offensi, quæ est in ordine supremo; satisfactio verò nostra sumit dignitatem ex dignitate satisfaciens, quæ est in ordine satis infimo. Item satisfactio nostra decrescit ex dignitate personæ, cui offertur, quæ est in ordine supremo; offensa verò crescit ex paruitate offendentis, quæ est in ordine infimo; ergo incrementum offensæ nunquam potest adæquari per incrementa nostræ satisfactionis, quæ semper manent in gradu valde inferiori.

Sed contra adhuc potest virgeri, licet loquendo de perfectione physica res ordinis superioris non possit compensari per res inferiores; cæterum illa regula non videtur esse vniuersalis in æstimatione morali. v. g. argentum quantumuis multiplicetur, non adæquat perfectionem physicam auri, & adhuc in æstimatione morali libra argenti æquiualeat, & superat vnciam auri.

Dices, argentum & aurum, licet habeant diuersas species physicè consideratas; vtrumque tamen esse in eadem specie valoris morales, & vilitatis ad communem vitam; quare valor auri potest benè compensari per valorem eiusdem speciei, qualis est in argento: at verò offensa Dei, & satisfactio nostra habent diuersa genera, non physicè, sed moraliter, quia valor morales offensæ sumitur ex dignitate Dei: valor autem morales satisfactionis sumitur ex homine; ergo nunquam valor ille potest moraliter compenari per istum, sicut licet valor libri vel tritici possit compensari pecunia, non tamen valor famæ, vel salutis; quare Theologi excusant à compensatione pecuniaria eum, qui occidit, vel diffamauit alium.

Sed contra iterum, quia non solum loquendo de perfectione physica, sed etiam de æstimatione morali, videmus compensari res ordinis superioris per inferiores; nam bonitas morales actus charitatis est in ordine superiori respectu actuum temperantiæ, & tamen in morali æstimatione plures actus temperantiæ æquiualent vni actui charitatis, & habent æqualem valorem ad merendum. Item peccatum in Deum habet malitiam moralem superioris ordinis respectu peccati in proximum; & tamen plura adulteria æquiualent moraliter vni odio Dei, & habent æqualem pœnam. Imò de ipsa visione Dei non videtur

21
Replicatio.

Replicationi
occurritur.

22
Eiusdem.

Dissoluitur.

videtur res adeo certa, quod non admittat aliquam compensationem in aestimatione morali cum rebus ordinis inferioris; nam licet visio Dei perpetua superet longissime valorem aliorum bonorum; si tamen comparatio fiat inter visionem Dei instantaneam ex una parte, ita ut post illud instans futurus esses expertus totius boni per aeternitatem, & inter gloriam corporis, & confortium omnium beatorum, vitamque felicissimam, perpetuam, omnibus bonis cumulatam, excepta visione Dei, ex alia parte; forsitan in prudenti aestimatione excellentiam visionis Dei compensaretur perpetuitate & multitudine aliorum bonorum: unde non immerito P. Salas 2. rom. in 1. 2. tract. 1. 3. disp. 16. num. 24. docet, maius malum esse cruciatum aeternum, quam carentiam visionis beatae per horam. ergo similiter, licet offensa Dei secundum se ratione personae offensa superet moraliter satisfactionem nostram; ceterum cum ille excessus sit finitus, quid obstat ut grauitas offensa instantaneae compensetur multitudine, diuturnitate, & intentione obsequiorum, quae postea offeruntur?

Exemplum denique, quod affertur de aufertente vitam, vel famam, non urget, potest enim facile retorqueri contra ipsos, quia non solum ille, qui distamavit aliquem, excusatur a restitutione faciendi in pecuniis, quando non potest famam in propria specie resarcire, sed etiam excusatur a restituendo in eodem genere bonorum. Si dixisti, v. g. Petrum esse ignobilem, & non potes famam iniuste ablatam ei restituere; non teneris dicere, eum esse doctum, castum, prudentem, &c. licet haec fama sit in eodem genere bonorum cum fama ablata, quia nimirum per hanc famam non tollitur iactura alterius famae ablatae. Tenetur quidem qui abstulit equum, restituere pecuniam pro equo, si non potest reddere equum, nam pecunia est aequiualeuter equus, cum possit pecunia comparari alius equus; at vero fama circa doctrinam non potest comparare famam circa nobilitatem, vel castitatem; ergo ratio excusans a restituenda pecunia pro fama ablata non est solum quod bona inferioris ordinis non possint adaequare in aestimatione rem aliquam ordinis superioris, sed quia iustitia intendit aequalitatem perfectam, hoc est, quod nemo habeat minus in suis bonis propter iniuriam alterius: licet autem redderet pecuniam pro fama, adhuc infamatus haberet minus in bonis suis; adhuc enim careret fama sua propter iniuriam alterius, nec eam recuperaret formaliter, vel aequiualeuter, cum pecunia non sit utilis ad recuperandam famam amisam; non ergo excusatur propter inaequalitatem bonorum, sed propter disproportionem ad aequiualentiam. In nostro autem casu neutra ratio videtur obstare, quia ad placandum sufficienter offensum, satis est tot tantaeque obsequia ei praestare, ut iam non sit rationabiliter auersus. quae quidem licet singula sint inferiora, possunt tamen sua multitudine compensare, ut constat in exemplis adductis.

Dices, licet valor moralis alicuius rei possit compensari per valorem rerum inferiorum; aliquas tamen esse, quarum maximus excessus facit ne vnquam possint rebus inferioribus adaequare, v. g. peccatum mortale, licet finitum sit, non

Card. de Lugo de Incarnat.

potest tamen eius grauitas adaequari peccatis venialibus, quantumuis multiplicentur. Item visio Dei perpetua, licet finita sit, non potest adaequari ab innumeris aliis bonis etiam perpetuis, quantumuis crescant, & multiplicentur. In hoc ergo genere poni debet offensa Dei propter dignitatem personae offensa, ut nunquam possit nostris satisfactionibus in morali aestimatione adaequari.

Sed contra, quia adhuc restat difficultas, cur offensa Dei sit ex iis, quae non possunt compensari multitudine nostrarum satisfactionum, sicut peccatum mortale non potest adaequari multis venialibus? Cum enim iam fatearis, aliquid ordinis superioris posse moraliter compensari multitudine, vel duratione rerum ordinis inferioris; sicut visio Dei instantanea, in aestimatione morali forsitan adaequatur gloria corporis, & aliis bonis perpetuis; restat inquirendum, cur offensa Dei respectu nostrarum satisfactionum sit ex iis, quae nunquam possunt adaequari, & non potius ex iis, quae possunt? Explicatur difficultas, quia licet offensa grauis facta in Regem, non possit adaequari per offensas, & negligentias leues quamplurimas, sicut nec peccatum mortale per plura venialia; potest tamen compensari aequaliter per plurima, & diuturna obsequia ipsius plebei hominis, qui Regem offendit; ecce non valet ibi argumentum; offensa leues in Regem non possunt adaequare offensam grauem ordinis superioris; ergo nec satisfactiones hominis plebei possunt adaequare offensam in Regem, eo quod sit in ordine superiori. Restat ergo reddenda ratio, cur sit efficax argumentum in nostro casu; offensa Dei grauis non potest adaequari per plura peccata venialia; ergo nec potest compensari per nostras satisfactiones, quantumuis multiplicentur.

Remouetur per difficultatem oppositam.

Explicatur difficultas.

Offensam Dei non posse compensari per nostras satisfactiones, licet multiplicentur.

SECTIO III.

Modus hoc ipsum probandi ex infinitate peccati.

I Deo non pauci Theologi, ut ex grauitate personae offensa colligant impotentiam satisfaciendi, ponunt, peccatum participare à Deo offenso infinitatem non solum secundum quid, sicut etiam visio beata habet aliquam infinitatem, sed infinitatem simpliciter. Ita docent aliqui relati à Suarez disp. 4. sect. 7. & à Vazquo disp. 2. cap. 2. cum quibus sentiunt plures recentiores, quia offensa in ratione offensa crescit formaliter ex dignitate personae offensa, sicut satisfactio ex persona satisfaciente; ergo cum offensa in Deum sit contra personam infinitam, necesse est crescere infinite supra omnes alias offensas.

25 Probatur ex infinitate peccati.

Suarez. Vazquez.

Vera tamen, & communis sententia docet, peccatum non esse simpliciter infinitum, sed solum secundum quid, quatenus est maius omni alio malo, & alia offensa. Pro hac est S. Thomas in praesenti art. 2. ad 2. dicens, peccatum habere quamdam infinitatem ex infinitate Dei, ubi illa particula quamdam, excludit infinitatem simpliciter, & ponitur causa limitationis. Hanc etiam late docet Suarez in praesenti disp. 4. sect. 7. Vazquez in praesenti disp. 2. cap. 2. & alij innumeri antiqui

Peccatum, esse infinitum secundum quid, non simpliciter. S. Thom.